To the Medico-Chirurgical Society
with best wishes for its prosperity
from the Author

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

ERYSIPELATE.

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

ERYSIPELATE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS BARCLAY, A.M.

SCOTO-BRITANNUS,

CHIRURGUS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS,

NECNON

SOCIETATIS MEDICÆ ABREDONENSIS,

SOCIUS.

Die viii. ante Kalendas Julias, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

MDCCCXII.


LIBRARY

GUALTERO BERRY,

ARMIGERO,

DE EDINBURGENSE,

HAUD MINUS BENIGNITATE,

QUAM BENEVOLENTIA ET MORUM SUAVITATE

CONSPICUO,

OB BENEFICIA INNUMERA

IN SE SANE IMMERITUM COLLATA,

HOC OPUSCULUM

CONSECRAT

GEORGIUS BARCLAY.

AMICO

SPECTATISSIMO,

JOANNI GORDON, M. D.

SOC. REG. ET COLLEG. CHIRURG. REG. EDIN. SOCIO,

NECNON

ANATOMIÆ ET PHYSIOLOGIÆ

PRÆLECTORI,

&c. &c.

HAUD

BENEFICIORUM IMMEMOR,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

HANC DISPUTATIONEM

D. D. D.QUE

AUCTOR.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS,

GULIELMO LIVINGSTON, M. D.

ARTIS SALUTIFERÆ

IN ACADEMIA MARSCHALLANA ABREDONENSI

PROFESSORI;

NECNON

JACOBO MOIR, M. D.

MEDICINAM FELICITER ABREDONIÆ

COLENTI;

QUI

SE PRÆCEPTIS ET CONSILIIS

IMBUERUNT;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRATAS VULT

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

ERYSIPELATE.

PRÆFANDA.

CELSUS ornatissimus ille medicus Romanus bene notavit, suis ipsius temporibus non minus epulis et luxu, quam literarum artiumque bonarum studio acriori, homines corporum vires contrivisse, novis valetudinis adversæ generibus semet implicuisse, vitæque spatium contraxisse. Quod ita se habere usus hodiernus luculenter edocuit. Quanto

enim magis homines scientia, disciplinis, artibusque ad cultum et utilitatem pertinentibus floreant, tanto fere magis, omnia membra languent, vultum pallent, et ad morbos imbecillitate natos subeundos propensi fiunt. Neque non virium indolisque ratio mirum in modum speciem morborum mutat: adeo ut idem morbus, eidem omnino sedi incumbens, alias atque alias notas præ se ferat, aliasque aliter finiatur, prout infirmum aut validum, plenum aut gracilem, corripiat.

De nullo autem morbo jure meliore, quam de inflammatione, hoc prædicare licet; cui genus nervosum modo vehementer incitatur, et vires superant; interdum contra, hæ graviter collabuntur, et singulæ corporis actiones admodum sedantur.

Quoniam hæc novisse summi medicorum interest, *Erysipelas* argumento, de quo disputem, præ cæteris selegi. Quod sane formam multiplicem sibi induit, pro corporis

natura, et aliis causis; unde ratio medendi idonea, nequaquam semper eadem contingit.

Quædam præfatus de hujus morbi indiciis, quæ communia exhibere soleat, deinde ad *species* ejus varias proferendas transibo.

HISTORIA.

Hicce morbus e signis consuetis, veluti alia exanthemata, febris, incipere solet; qualia sunt lassitudo, horror, somnolentia, vel etiam delirium, calor sitisque insignis, concitatus arteriarum motus vel durus, vel exilis, prout ad synocham aut typhum propius febris accedat. Hæc sequuntur lingua albida, cibi fastidium, vel etiam vomitus, dorsi capitisque dolor, corporis jactatio, summa solicitudo, et ad somnum proclivitas. Paulo post, scilicet biduo vel triduo, acriter exardet

quædam macula, initio exigua, sed postea lata dispersaque, colore purpureo vel ex rubro nigricante in aliqua parte corporis externa: tunc quoque pars dolet, prurit, et paululum intumescit, atque digito illato, exalbescit; mox tamen sublato, iterum rubescit. Serius aut ocius oriuntur vesiculæ aut phlyctænæ, quæ parvæ sunt vesiculæ, haud lenticulis ampliores, latice distentæ; istæque tandem, morbo jam inclinato, in squamas abeunt. Denique, serpit morbus, et sæpe eas partes jam sanescentes relinquit, quas antea male habuerat.

Hæc signa sunt frequentiora, sed pro parte affecta variant.

Profecto, si faciem morbus adoritur, quod frequentissime fieri solet, signa graviora sunt: citius plerumque invadit morbus; attamen, horror, nausea, et signa ægro febrem intermittentem minantia nonnunquam accessionem indicant; deinde tumescit frons, malæ,

nasus aut palpebræ, parsque inflammata vel glabra est, vel fortasse pellucida, sed nec intenditur, nec durescit, nec fere unquam pulsat.

E macula rubra exigua quibusdam in corporis partibus supradictis incipit hic morbus; sed si faciem adoriatur, sensim per totum caput, vel etiam ad cervices interdum dispergitur; et sæpe palpebræ adeo tumefiunt, ut lux introire nequeat; sed inflammatio sæpius in alterutro faciei latere continetur.

Cum morbus membrum aggreditur, tum plerumque diuturnior est, dolorque acutior quam in facie, et fere semper e pede vel parte cruris anteriore incipit; inde usque ad genu et inguen extenditur, donec totus artus æqualiter rubescit; quo tempore glandulæ in inguine positæ aliquando tumescunt, atque partim suppurant. Abscessus tandem prope vasa lymphatica formantur; qui sinuosi graviter dolent, tardeque sanescunt. Artu

superiore laborante, signa eadem sunt. Antequam rubescit membrum, signa jam dictis similia videntur; nisi quod rigores forte graviores sunt, stupore et somnolentia minus urgentibus.

Postremo, iste morbus interdum mulierum mammas aggreditur; unde tumescere, durescere, et haud raro suppurare solent. Glandulæ in axilla positæ tunc vexantur atque suppurant.

Hic nobis notare licet, ut febris inflammatione orta non sit remissior, sed cum spargenda ingravescere soleat.

Febris plerumque ad diem mali quintum sextumve progreditur, quo circiter tempore bullis eruptis, lenior fit, et apud diem octavum vel decimum abiit.

Hujusce morbi species est, quæ corporis truncum aggreditur, et brevi in permultas

vesiculas parvas desinit. A CULLENO Phlyctenodes, apud veteres Zona vel Zoster appellatur, quia corpus interdum circa umbilicum instar cinguli circumligat. Sed hæc jam dicta Erysipelatis veri sunt signa frequentiora.

Finitur Erysipelas squamis furfuris similibus; quæ terminatio maxima optanda est, sæpissimeque post diem octavum vel decimum secundum accidit. In dolentem exulcerationem desinit morbus, ad quam palpebræ et superiores buccæ partes facillime spectant; nihilominus pus ibi formatum nec albidum, leve, nec crassum est, sed *ichori* simile. Quando hæc infausta suppuratio artum tentat, ut nullo modo circumscripta est, veluti in phlegmone, ita late per telam cellulosam vagatur, et haud raro in gangrænam transit. Postremo, morbus translatione finitur, quæ cum ad cerebrum tendit, mors fere statim, signis apoplexiæ comitantibus, sequitur.

PROCLIVITATIS CAUSÆ.

Hic morbus maxime exercet homines a triginta ad quadraginta quinque annos natos: fœminæ, præsertim gravidæ, morosi, anxii et iracundii; senes, ei multo magis sunt obnoxii quam adolescentes. Corpus plenum atque sanguineum, nec non atra bile imbutum, proclivitatem ad hunc morbum facit. Hæreditas quoque, si Sennerto ita scribenti credimus; "non raro hoc malum in liberos "a parentibus propagari solet." Profecto qui semel morbum subiit, multo postea est opportunior. At quidem haud ignoro, quod hæ res sunt plerumque comitantes, sed non prædisponentes causæ, quæ penitus in tenebris latent. Si conjecturam facere liceat, erysipelas morbus est, quæ a partu usque ad sepulchrum in aliquibus corporibus humanis

inhabitat et latet; qui, stimulo immodico alicui parti admoto, paulo post, dum vires innatæ vel partis vel totius corporis imminuuntur, sese manifestat; qui non intemperantia augetur, sed eadem ratione, qua irritabilitas corpore labefacto augetur, eadem viribus fractis morbus superat. Ex his duabus causis explicare possumus, quare morbus nunc signis inflammationis, nunc debilitatis adoriatur, quia in corporibus robustioribus e prima causa oritur, et morbus iterum corpus stimulat, unde fit quod vasa magna actionem novam et vehementem recipiunt; hinc Erysipelas Phlegmonodes. Sed cum morbus ex ea debilitate oritur, qua vires innatæ subiguntur, vasa imbecilla actionem vehementem recipere nequeunt; hinc Erysipelas Œdematodes. In iis quoque partibus orbis terrarum, scilicet Newfoundland, quarum in incolis hæc proclivitas vel morbus latens non existit, etiamsi populi horum locorum obnoxii sunt omnibus causis excitantibus, attamen erysipelas, ut sicuti ego accepi, apud eas

fere nunquam visum fuit. In hac autem insula, ex eadem causa, uni homini erysipelas, alteri podagra, tertioque phlegmone oritur, prout corporis proclivitas ad eos morbos propius accedat.

EXCITANTES CAUSÆ.

Jam dictis in memoria retentis, inter causas excitantes numerari possunt omnia quæ aut corpus infirmant aut præter solitum stimulant, ideoque non solum quæ erysipelas, sed omnes fere morbos quibus corpus humanum est opportunum excitare possunt. Sed e multis sequentes eligere licet, quæ corpus infirmant; suppressæ aut omissæ naturales aut artificiales exinanitiones; quales sunt per cutem exhalatio, menstrua, et alvus, suppuratio et efflorescentiæ cutis, &c. aër humidus, et potiones meraciores quotidie assump-

tæ; quæ corpus præter solitum stimulant; potus immodicus, et vulnus corpore oppresso acceptum; caput nudum, præsertim præter solitum labore calefactum soli meridiano subjectum; calor insignis ab igne, balneo, aut potione nimis calida; animi perturbationes, ira scilicet, vel terror; fatigatio; subitæ cœli mutationes; humor erysipelatis e corpore morboso in sanum inoculatione translatus. Multum quoque jam disputatur, erysipelas contagio propagari queat, necne; quod si fieri possit, certe rarissime accidit. Quosdam profecto hic morbus semel aut sæpius quotannis aggreditur, et æger post ejus accessionem bona valetudine sæpe fruitur; inde arthritidis species æstimabatur. Sed res non ita se habet: eadem bona valetudo aliquando accessionem epilepsiæ sequitur; sed nemo tam fuerit ineptus ut eosdem esse morbos affirmaret.

RATIO SIGNORUM.

In signorum rationem referendo, phlegmonen et erysipelas comparare in animo est, ita ut eorum naturas, et quomodo inter se differant, ante oculos proponam.

Qualiscunque est color partis sanæ, inflammata rubescit: si habitus corporis integer vel pars prope cor sit, rubor pallidus; si habitus labefactus vel membrum laborans, rubicundior vel magis purpurascit. Hic color liquido e vasis sanguine turgidis oritur; quæ vasa contrahendi facultate vix prædita sunt præter solitum intenta: hæc contrahendi facultas amissa, ex hoc plane apparet, ut parti inflammatæ dolor inter arteriarum amplificationem vel in diastole est gravissimus. At certo scimus musculum inflamma-

tum, vel præter naturam intentum, sine dolore excruciante contrahi non posse: unde in parte inflammata, an tunica arteriarum muscularis omnino contrahatur, nobis licet dubitare. Arteriæ, dum pars phlegmone afficitur, lympham secernunt; in qua formantur vasa nova, necnon adhæsiones. Sed horum nihil accedit cum erysipelas partem male habet: ideo color ejus plane ex vasis solum oritur; quæ sanguinem in eas partes transire sinunt; quæ apud bonam valetudinem, laticem tantum transmittere solebant; quamobrem erysipelatis color est phlegmone purpuracior, et tumor ejus eadem ratione fere nunquam circumscriptus. Nulla lympha secreta, nullæ adhæsiones consequi possunt: attamen partes affectæ raro suppurant, nisi cum phlegmone adsit, et cum tela cellulosa torquetur, dum suppuratio longe lateque patet. In hoc quoque a phlegmone differt erysipelas, quod illa minus, hoc magis ad suppurationem spectat, quanto profundior est sedes morbi. Quare erysipelas ad suppura-

tionem non spectet, fere adhuc latet; nisi ob causam jam dictam, scilicet, pus secernendi speciem et vasorum actionem fere amissam, ad puris secretionem nequaquam esse aptam. Sed eorum intumescentia serum transmitti sinere videtur: membro quoque laborante, glandulæ lymphaticæ, ut jamjam notatum fuit, sæpe vexantur, ac de his maxime causis œdæma oborire verisimile est.

Sensim erysipelatis rubor in cutem vicinam non desinit, veluti phlegmones, sed marginem non solum visui, at tactui sentiendum habet. Quam rem in exponendo, nos oportet æstimare vasa cutis minus irritabilia esse, quam telæ cellulosæ, et non ita facile in inflammationem ruere; atque inflammationem sæpius per consensum quam per totius corporis morbum sese extendere: nam si hoc in causa esset, partes jam inflammatæ sanescere non possent; vel denique partem affectam pro tempore ad hanc actionem ejus proclivitatem omnino amisisse indicaret: at

verum, ut inquit JOANNES HUNTER, "What "this action is, or in what it differs from "the common action of the vessels, is not "easily determined, since we are more able "to judge of the effects than the immediate "cause."

Erysipelas plerumque cutem aggreditur, quanquam in partes interiores nonnunquam spargitur; sæpe etiam phlegmone consociatur; cum erysipelas phlegmonodes apud veteres appellatur, nec raro ex altero in alterum sensim transeunt, eorumque sedes eadem esse videtur; nam si inflammationis species e sede penderet, quatuor vel quinque species post membri amputationem ad vulnus sanandum essent necessariæ.

Erysipelas igitur et phlegmone inter sese haud late differunt.

Nunc de quibusdam aliis signis dicendum est; inter quæ somnolentia, delirium et

coma numerantur, quæ vulgo a causis tribus oriri dicuntur; nempe, inflammatione vicina, intus conversa, vel denique ex aucto sanguinis impetu. E causa prima oriri non possunt; quia membro cruciato sæpe graviter urgent. E secunda sane possunt, at non semper adest translatio, dum hæc signa torquent; nam apud CULLENUM numerantur, at ille morbum intus conversum, nisi se spargendo et augendo, nunquam vidit. Sed, ut jam dictum fuit, hæc signa membro laborante sæpe sæviunt. Porro, inter cadaver secandum, quod hoc morbo et his signis præsentibus vitam amiserat, a Doctore BAILLIE inventum est, encephalon morbum evidentem nullum habuisse. Apud MORGAGNI et quosdam alios scriptores, qui mihi in manus venerant, sectiones cadaverum nullas hominum, qui hoc morbo perierunt, invenire possum. E tertia causa oriri, longe vero absimile est; quoniam hæc signa pro inflammationis magnitudine multo sunt graviora in multis aliis morbis quoque; scilicet, in fe-

bribus continuis, vel etiam in phlegmone, dum sanguinis impetus multo major est: attamen, delirium et stupor non semper vexant. Ratio igitur horum signorum satis obscura videtur; nec explicatio verisimilis adhuc data est.

DIAGNOSIS.

Satis, ut spero, jam memoratum est quo Erysipelas a Phlegmone facile dignoscatur.

Ab erythemate dignoscitur erysipelas, eo quod illud tantum cutis vitium est, et febrem nullam nisi *symptomaticum* sibi junctam habet.

Erysipelas et scarlatina signis quam simillimis corpus aggrediuntur: verum a capite ad calcem scarlatinæ efflorescentia sese ex-

tendit, isque morbus juventutem frequentius adoritur; necnon cum tonsillarum exulceratione sociari videtur: attamen, sub initio alterutrius morbi nihil febri in distinguendo fidendum est; nam uterque variare potest.

PROGNOSIS.

Jam vero ab indiciis eventum morbi considerandum est; atque ægri ætas, vitæ habitus, corporisque genus, vel species morbi, eventum plurimum moderantur et mutaret.

Erysipelas phlegmonodes, id est, cum signis inflammationis comitatum, et cum febre synocha, maturam ætatem corporaque robustiora aggreditur. At vero in ætate provecta paululum synochæ, multum typhi adest, cum erysipelas veterum œdæmatodes formatur. Denique, corpore intemperantia, terra calida

aut morbis prægressis labefacto, sese ostendit erysipelas gangrænosum.

Erysipelas phlegmonodes sæpe quam minimum periculi ægro minitatur, et in habitu bono nullus fortasse locus aut medico aut chirurgo erit. Interdum tamen membro tentato, introrsum serpit: tunc sæpe mala lataque suppuratio comitatur. Si faciem occupat, et introrsum tendit, dolor capitis, delirium, stupor, et coma usque ad mortem urgent. Metastasis, vel morbus omnino translatus, nunquam vel certe rarissime in hac specie videtur (Pearson). Speciei secundæ vel œdæmatodi multum periculi adest; nam metastasis sæpe accidit. In gangrænam nunquam transit: nec raro die octavo vel nono, sine ulla causa, quæ inter cadaver secandum inveniri potest, æger stupore laborans animam efflat. Denique, in specie gangrænosa, omnia in præcipiti versantur. Pauci quidem, quam paucissimi unquam bonam valetudinem recipiunt, sed ad diem vigesimum

aut vigesimum quartum vitam miserrimam trahunt; sanitas, si unquam, tardissime redit, sed longe sæpissime eo tempore absumantur.

Quo longius distat pars affecta capite vel trunco, eo minus metastasis est metuenda; at quæcunque species faciem aut partem pectoris exteriorem tentat, ægrum in periculum adducit. Quanto magis febris, delirium aut coma sæviunt, tanto plus discriminis subest. Malum est, si infantes tenerosque adhuc pueros circa umbilicum hic morbus exerceat. Hoc vitium anasarcæ, asciti, veterique ictero superveniens, plerumque enecat. Nihil amplius est quod dicam, nisi quod morbus sæpe peritissimos fallit. Denique scire licet, quanto graviora sint indicia, tanto minus spei subesse, tantoque citius et certius fatum esse augurandum.

CURATIO.

Nullus fere morbus, habitu corporis, quod aggreditur, magis quam erysipelas, mutatur. Hoc adeo est, ut hodie qualis sit ejus natura, dicere non possimus; qua de causa, curationem inter tres species jam dictas dividendam mihi propono; quæ nempe inter se differunt, tum periculi ratione, tum quoque curatione; quia spatio duorum vel trium dierum oriri et cognosci possunt, et quia ex alia in aliam nonnunquam transeunt. Igitur de singulis earum separatim dicere oportet.

Erysipelas phlegmonodes plerumque faciei latus alterutrum adoritur; incipiens ex horrore et calore vicissim occupantibus, cum motu arteriarum concitato et ad somnum

proclivitate: urgent quoque lingua albida, sitis, fastidiumque cibi: dein apud latus nasi vel prope aurem macula rubra, cum doloris urentis sensu et pruritu, nocte fere secunda vel die tertio conspici cœpit: morbus ingravescit; tota facies, maximeque palpebræ tumescunt, et die quarto vel quinto pars affecta vesiculis obsidetur, quæ sæpissime humore pellucido, aliquando subflavo, interdum livido, implentur: hæ die circiter sexto laticem effundunt; et eodem fere tempore serum sanguinolentum sæpe ex aure vel palpebris profluit: tunc tumor sensim recedit, et flavescit; atque die octavo febris plerumque quiescit; tumor etiam evanescit, squamarumque ad instar; cutis delabitur. Membro laborante similia sunt indicia, sed sæpius accedit suppuratio.

In curatione hujusce speciei, multum juvant sanguinis detractio, victus parcus et tenuis: denique, quæcunque regimen antiphlogisticum amplectitur, nisi forte frigus

parti affectæ admotum. Antequam sanguis mittitur, vitæ habitus et vires ægri nobis consideranda sunt. Si in urbe vitam egerit, si forma gracilis est vel atra bile imbuitur, denique, si ætas provecta est, nisi graviter urgent indicia, sanguis non omnino detrahendus est, tum etiam parce cauteque: at si æger in rure vitam habuerit, si motus arteriarum sit plenior et durior, si ardor magnus, si vires supersint, et æger nondum consenuerit, tunc semel atque iterum sanguinem mittere oportebit; at non satis mirari possumus virum rei medicæ peritissimum Astruc, ad erysipelas resolvendum, quinquies vel sexies, primis diebus morbi, venam incidi jussisse. Post primam vel secundam venæ sectionem, si signa non mitescant, quam iterum sanguinem detrahere præstabit, ea administravere, quæ leniter alvum movent: quod consilium ope olei ricini vel infusi cassiæ sennæ satis commode perfici potest. Quoniam per totum hujusce morbi cursum alvus fere semper pigerrima est, secundo

quoque die devorare hæc debent; vel, quod fortasse melius erit, paululum submuriatis hydrargyri opio mixti quotidie assumendum. Ea autem, quæ aut alvum aut vomitum vehementius movere solent, sine maximo periculo vitæ adduci non possunt; quia non solum infirmant corpus, sed idem ad gangrænam et ad metastasin subeundas proclivius reddunt. Postquam sanguis detrahitur, si opus sit alvus purganda est. Postquam alvus exoneratur, ad ea quæ sudorem eliciunt fortassis confugere oportet. Ad quod consilium perficiendum, præparata ex stibio opio imbuta, aut ex ipecacuanha et sulphate potassæ vulgo ingeruntur. Multum autem diverseque medici disputant dissentiuntque, an quæ sudorem, an quæ alvum movent, morbo ad finem properante, magis juvent. Dubitant etiam quidam, at me judice sine causa, an hæc, febre sæviente, tuto omnino administrari possint. Doctor FRIEND, postquam de usu alvi purgantium in variola dixerat, hæc verba exquisita et distincta habet: " Est

" et aliud morbi genus, idque satis pericu-" losum, in quo etiam cum minime defebue-" rit febris, ita mirifice profecerint purgantia, " ut aliquando sine iis ad sanitatem perve-" niri non possit. Morbus is est capitis ery-" sipelas." Deinde subjicit exemplum, in quo morbus fere ad mortem fuerat progressus, cum delirium, coma et distensiones nervorum adessent, et æger nihil memoriæ per sex dies retinueret; nihilominus, ope purgantium sola ægrum summo periculo liberavit, et ad pristinam prorsus sanitatem restituit. Posteaque non injuria addit: " Quod si morbum jam ad extrema produc-" tum submovere possit purgatio, certe ea-" dem temperius adhibita, ne is ita longe " serpat, præcavebit." Profecto mihi persuasum est hæc duo consilia fructu conjungi posse, nempe, administrando medicamentum e submuriate hydrargyri et tartrate antimonii et potassæ cum opio compositum; cujus prima pars ad alvum solvendam, secunda ad sudorem movendum, tertiaque ad irritatio-

nem sedandam spectat. Si delirium et coma graviter urgeant, præter medicamenta purgantia, cucurbitulas cruentas, aut emplastrum e meloë vesicatorio compositum, inter scapulas, admovere oportet. Cum accedit metastasis scilicet a parte externa in internam, rubefacientia vel etiam exulceratio sine mora in opem adduci debent. Si alvus ægri sit fusa, opio fluxus reprimi debet; et ne delirium et alia signa infausta opio augeantur, aut in aqua solvendum, aut cum iis jungendum est quæ sudorem movent. Multum quoque oportet, ut cibus mitis et facilis concoctu, dum morbus perstat, in ventriculum recipiatur.

De remediis externis pauca finem versus dicenda sunt. Nunc de erysipelate œdæmatode, cujus accessio est hebetior aut sensim inserpit; incipiens ex languore levi, horrore, cibi fastidio et vomitu; sub initio quoque functiones cerebri magis minusve perturbantur; tumor mollis per tres dies vagatur et augetur; tota facies rubescit; sed rubor colore

luteo vel fusco miscetur, et cito aqua intercute vultus intumescit; pressio adhibita, sensum quasi crepitus dat, et, uti in hydrope, vestigium digiti aliquamdiu permanet. Die circiter secundo, tertio, vel quarto ab ortu tumoris, vesiculæ fere innumeræ partem laborantem obsidere incipiunt; quæ, post paucos dies, uti variolæ confluentis propriæ, siccantur et nigricant. Signa continua ingravescunt; facies fit horrifica et turgida; lingua albescit; motus arteriarum fit exilis, creber, sæpe inæqualis; oculi tumefacti clauduntur; delirium confestim et stupor sequuntur, et æger die mali circiter octavo aut nono, his signis exercentibus, absumitur: aut eo circiter tempore signa mitescunt, et ægrotus tandem valet.

Consilia medendi hujusce speciei sunt, impetum humorum mutare, irritationem minuere, et corpus roborare. In hac specie sanguinis missio valde periculosa est; et nisi e parte vicina, si morbus ad cerebrum spec-

tet, propter rationes jam dictas, et vires jam labefactas, nunquam perfici debet, sed ad ea concurrere oportet, quæ alvum leniter movent; quod mediis salibus, vel præparata ex hydrargyro, submurias hydrargyri nominato, modo in specie prima dato, satis commode efficitur: Vel, (suadente celeberrimo Abernethy), sumat æger pilulæ hydrargyri granas quinque secunda quaque nocte, et interdiu gentianæ et cassiæ sennæ infusum, ut ei una saltem sit dejectio indies.

Præter remedia in prima specie numerata ad sudorem eliciendum, carbonas ammoniæ nuper a Doctore Peart adeo laudatum est, ut remedium fere specificum esse videatur, et de hoc medicamento hancce orationem habet: "In these disorders, (erysipelas et erythema), as well as in scarlet fever, I depend chiefly on the volatile alkali, (carbonas ammoniæ), till the disorder is in some measure subdued, before I have recourse to other medicines as auxiliaries. I gene-

"rally give about six grains at a dose, either "in a state of solution, or made into pills, "ordering that the dose be repeated every "two, four, six, or eight hours, as the de- "gree of the disorder, or the urgency of the "symptoms, may seem to require *."

Ad secundum consilium exequendum, opium vel hyoscyamum, postquam alvus purgatur, cum iis quæ sudorem eliciunt, liberrime administrare licet; multum enim ad operæ sanitatem restituendam conferunt.

Quod ad consilium tertium attinet, cortice cinchonæ officinalis, columba, vino rubro Lusitaneo, aut cerevisia meraciori, et acidis mineralibus expletur; nonnulli quidem, Londini præsertim, ab ipsa morbi accessione, corticis cinchonæ officinalis magnam copiam infundunt, ne morbus ad gangrænam tendat.

---

* Practical Information on Erysipelas, &c. by E. Peart, M. D.

E signis alterutrius speciei incipit erysipelas gangrænosum: faciem et partes corporis superiores adoriri solet; haud raro autem artum inferiorem tentat; celeriter serpit tumor, qui mollis et quasi inflatus est, coloris subrubri vel lividi: die circiter quarto, vesiculæ aut phlyctænæ partem affectam obducunt; quarum bases lividæ, cito nigricant, et signa gangrænæ ipsius mox consequuntur. Vultus, si morbus membrum tentat, collabitur; qualem torvum et ferocem medici faciem Hippocraticam nominare solent. Si facies ipsa laborat, inflatur nigricatque; angor, anxietas et summa virium resolutio premunt; motus arteriarum est creberrimus, exilissimus, sæpe inæqualis; æger nunc delirat, nunc stupet; sitis urget; lingua crusta subnigra obtegitur; cibi evomuntur; singultus torquet, et alvus fluit. Non semper in mortem desinit morbus; sed signa febris putridæ ad diem vigesimum sæpe intenduntur; posteaque partes exulceratæ diu vexant, et non sine maxima difficultate ad sanitatem ferun-

tur. Consilia medendi eadem sunt quæ jam memorata de specie œdæmatode, post alvi purgationem. Hæc sunt medicamenta præcipua, et in quibus maximam spem salutis imponere debemus: Cortex cinchonæ officinalis, vinum præsertim rubrum Lusitaneum, cerevisia fortior, aut etiam liquor spirituosus dilutus, cui nomen est Anglice *Brandy*. Rite accedunt opium et acida mineralia, cibus quoque satis nutriens et facilis concoctu, quales est jus et carnibus elixis concretum, vel aqua in qua caro decocta est.

Nunc in pauca conferam quæ de remediis externis inventa habeo. Nempe in prima specie, nullum remedium externum prodesse: aëra frigidum, (libere admotum), remedium esse tutissimum et aptissimum: pulveres omnes absorbentes nocere, quandoquidem halitum per cutem et a cute impediunt. Vesiculis diruptis crustam duram formant, quæ crusta ex acri humore composita, vel cuti adhæréscit, vel partem exulceratam, ad

quam formandam maxime adjuvant, obtegit, ideoque irritationem auget. Postremo, omnia remedia quæ partem laborantem aut multum calefaciunt aut refrigerant, mala esse et periculosa; illa, quia inflammationem et ad suppurationem proclivitatem augent, hæc, quia partibus affectis imposita morbum nonnunquam in partem internam spectare faciunt; qua de causa, in hac specie aër frigidus solum aut folia virida brasicæ sunt remedia tutissima, jucundissima et saluberrima. Si pruritus post vesiculas diruptas graviter urget, partes aqua tepida fovere liceat.

In specie secunda, materiæ vasa leniter excitantes, non autem nimis potentes, ne cutem abradant, sed ea, quæ rubefacientes appellantur, multum prosunt: hujusmodi sunt liquores spirituosi diluti, vel aqua in qua carbonas ammoniæ, aut opium purum solvitur. Sed hæc maxime juvant, si ea quæ irritationem sedant postea admoveantur, nempe fomenta ex avenæ pulvere, floribus au-

themidis nobilis, et aqua in qua capsulæ papaveris somniferi decocti fuerint.

Œdæma, quod morbus jam evanescens relinquit, ope fasciæ e panno laneo, fricatione cum linimento ammoniæ, vel aqua tepida marina plerumque removeri potest. In specie tertia post remedia jam dicta, cum notæ gangrænæ patent, ad partem moribundam cataplasmata stimulantia aut emollientia, nimirum ex alkohole, oleo terebinthini, admovenda sunt. Ad malum odorem removendum, fotus ex pulvere seminum lini, et carbone ligni compositus, vel qui dicitur fotus fermentescens, imponi debet.

Postremo, quæ, pro gangræna aliunde orta laudantur, adhibenda sunt.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 9, lin. ult. *dele* ut
10, 16, *pro* &c.; *lege* necnon
10, 17, *pro* assumptæ, *lege* assumptæ :—
18, 10, *pro* mutaret. *lege* mutarent.